

Johann Daniel Overbeck

**Memoria Vitae Viri Admodvm Reverendi Et Praeclarissimi Petri Hermanni Beckeri  
... Pastoris In Sacro Grege Ad Aedem S. Iacobi Tvendo ... Litteris Consignata**

Lvbecae: Imprimebat Georgivs Francisc. Ivstvs Roemhild, [1788?]

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn1789087678>

Druck Freier  Zugang



4°

*Subl.*  
*Becker.*  
*1788.*

Z //  
160.-4°



Jz II  
160 - 4°

MEMORIA VITAE

VIRI

ADMODVM REVERENDI ET

PRAECLARISSIMI

PETRI HERMANNI  
BECKERI

PHILOSOPHIAE DOCTORIS CELEBERRIMI

PASTORIS

IN SACRO GREGE AD AEDEM S. IACOBI TVENDO

FIDELISSIMI

SENIORIS

REVERENDI SACERDOTVM ORDINIS

GRAVISSIMI MERITISSIMIQVE


LITTERIS CONSIGNATA

A

IOHANNE DANIELE OVERBECK

GYMNASII LVBECENS. RECTORE

SOCIETATVM TEVTONICAR. GOTTING. IENENS. ET ALTDORFINAE  
LATINAE MARCHICOBADENSIS COLLEGA HONORARIO.



LVBECAE

IMPRIMEBAT GEORGIUS FRANCISC. IVSTVS ROEMHILD.

**V**ix funere SENIORIS vnus elato, proh dolor, alterius efferendum est. Nam ita hoc placuit rerum humanarum Gubernatori Optimo Maximo, vt apud nos demortuum Theologum vnum, excedens Theologus alter, Pastorem sacri gregis Pastor, Sacerdotum Seniore Senior, BVRGHARDVM BECKERVS, cito pede seque- retur, intra spatium semestris; siquidem Illius obitus anno superiori in diem xxv. Octobris, Huius hoc in xxiv. diem Aprilis incidebat. O raritatem euentus, o simul insuauitatem sanequam luctuosam! Itane in fatis fuit, vt aetate mihi Priore non multo minori, Posteriore vero maiori aliquot annis, VTRIVSQUE memoria, dum funus procederet, triftiori calamo prosequenda esset nouumque vulnus ita, vt plane recrudesceret vetus, inflingeretur? Quamquam quid est, quod priuatim lacrimetur aliquis multum, quum omnibus publice lugendi causa tanta tamque multifaria sit data? Quis flendi hodie propinquieribus finis esset, si flere mihi tam acerbè liceret, quam sensus animi quidam videtur interdum postulare? Sane reuocanda summo studio pietas, iusta licet aequè ac moesta, ad officium illud est, quod mentis edat magis memoris meritorum alienorum, quam suae tristitiae, significationem. Quae res quidem, si vnquam, certe in hodierno funere, locum habere debet; vt ergo initium statim horum, quae narranda sunt, faciendum esse videatur.

Et quamquam erat impetus de capite tam caro corradere omnia, quae possem, in his de Maioribus Viri plura fortasse, quam essent apud nos plerisque nota, quum contigisset mihi praesertim bonus Adiutor, Vir in collegio nostro perquam diligens et litteratus, qui talia solet horis quotidie subsecutis etiam publico nomine rimari; attamen temporis partim exclusus angustia, partim aliis causis, cogor iis fere, quae aliunde mihi suppeditata sunt, contentus esse. Quae iam continuo, pluribus omisissis ambagibus, fideliter proferam.

Introiuit in hanc vitam **PETRVS HERMANNVS BECKERVS** Rostochii, anno saeculi, quod agitur, trigesimo, ante diem vndeicesimum Iulii (\*).

Patris IOHANNIS HERMANNI BECKERI, sacrosanctae Theologiae Doctoris et sacrarum Pastoris onium ad aedem apud nos Marianam, viget insignis memoria perpetim, sicuti dudum quoque celebrata fuit a viris eruditis (\*\*), celebrarique nunquam desinet, a. LIX. a. d. VII. Aprilis pia morte defuncti.

Mater, quam veneratus est, at eheu ante tempus amisit a. XLVL, IOHANNA MAGDALENA MOELLERORVM fuit gente nata.

Hic dignorum Parentibus et ipso Filio Maiorum notitia minime videtur, quoad exstat adhuc, esse celanda. In qua suo iure praecedit genus Paternum.

Huius Auus fuit HENRICVS BECKERVS, Director olim sacri ordinis apud Rostochiensis, ipseque Pastor sacri gregis ad eandem aedem Iacobaeam, quae sibi praefectum hodie gaudet eodemque fungentem munere Nepotem, Huius, de quo ista scribimus, Fratrem, HENRICVM VALENTINVM BECKERVM, A. M. et Mathematicum Professore eorum, quae inferiora dicuntur, virum eruditissimum, qui publicis etiam speciminibus nomen suum atque doctrinam reddit in dies celebriorem (\*\*\*)

Auia eiusdem generis Paterni, CHRISTINA MARGARETA, gente SCHOMERA, magni viri vnus vt Filia, sic alterius, celeberrimi nempe Rostochiensium Theologi, IUSTI CHRISTOPHORI SCHOMERI, Soror fuit.

Proavi Proauiaeque stirpis huius Paternae simili laude, nec vnquam intermoritura, floruerunt. Primus videlicet HERMANNVS BECKERVS, A. M. et in academia Rostochiensium Mathematicum Professor, in vrbe vero sacri gregis ad aedem Iacobaeam, quam diximus, Pastor, insignem sibi meritorum gloriam comparauit. Prima vero AGNETA gentem, qua genita patre PETRO Mercatore erat, HASSERTZIAM, eximie ornabat. Secundi NICOLAI SCHOMERI I. V. D., quem paulo antea iam in filiae mentione viri magni nomine, nec immerito, innuebamus, patria Gueftphalica tellus fuit, patre nati IODOCO SCHOMERO, praediorum, quae Canonicorum in vrbe Osnabrugae Collegio compe- tunt, Inspectore Kappelenfis iudicii Secretario, matre SOPHIA, NICOLAI KARNEBECKII, mercatoris in eadem vrbe filia. Ipse primum in republica Brunsvicensium Protosyndici functus est munere, deinde Lubecam delatus atque ibi lectus ob merita in Senatum ad Camerarii primi adscendit dignitatem, ne docti quidem viri laude praeclara librorumque scriptorum destitutus. Tandem secundae, SVSANNAE SCHLAFIAE, CHRISTOPHORVS parens, Ca- nonicorum Collegii, quod floret Hamburgi. fuit ab epistolis et eidem pro Syndico inferuuit.

Haec posteaquam haecenus de Paterna stirpe dicta sunt, de genere Materno quod non possum nisi pauca subne- ttere, tanquam rem inimicam concinnitati, dolemus et odimus, Eius ipsius ratione habita, cuius recensere Maiores con- tendimus, vix referre aliquid existimamus. Nam BECKERIANVM pariter nomen ac MOELLERIANVM, ita per se luces ac splendet, vt ne vllum quidem imaginum nitorem requirere videatur. Sufficiat ergo Maternum et auum et primum proauum nominasse, VALENTINVM vtrumque MOELLERVM et vtrumque Praefectura Serenissimi Mega- politanorum Ducis, illum in procurandis per omnem ditionem Suerinensem Salinis, hunc in ipsa Ducali vrbe, functum. Proauia autem prima ELISABETA patrem habuit, qui PETRI dictus est nomine gentili, dignitate vero decuriones inter Suerinenses floruit. Plura superaddere non licet.

Ad res quaslibet auita hac gloria, multo magis autem Christiana pietate dignas et eruditionis laude solidioris, ab ipsis Parentibus primum institutus, praesertim vero a Patre est, simul aliis vfo priuatis et idoneis huic consilio praeceptoribus. Quocum Gryphiswaldiam euocato ad Professionem Theologiae munusque Pastoris ad aedem Iacobaeam, profectus illuc a. XLVII. etiam ipse est vna cum duobus Fratribus, quorum vti carissimum habuit semper HENRICVM VALENTINVM eundem, quem iam superius iusta cum laude memorabamus, ita comilitonem quoque coniunctissimum longeque suauissimum in omni vel puerili vel iuuenili disciplina. In qua quidem vterius iam explicanda par illud no- bilissimum Fratrum simul et coniunctim ante oculos habebimus, quod amorum studia pariter ac fata similia per bene longum tempus, immo eadem prope, fuerunt.

Itaque linguas ante omnia magis excolere coeperunt Gryphiswaldiae latinam atque graecam, celeberrimo LASIO duce, Professore nunc in academia Rostochiensium meritissimo, Hebraicam vero et Francogallicam praestantissimo MEL- LENDORFIO. Nec diu post ad philosophiam se applicauerunt sub eodem LASIO et ad illum accedente MOELLERO, viro meritis ac fama celebratissimo, nec minus ad Mathematicam Physicamque doctrinam, rem illam agente, prout dignum erat viri tam praeclari nomine, MEYERO. Nauiter hinc sanequam ac feliciter singulis operam dederunt Theologiae partibus. In quibus quantum profecerint illo iam tempore, ducibus BALTHASARE, STENZLERO et ipso Parente, quid attinet ostendere operosius, quum ad tantam virorum horum omnium, in tanta celebritate, aucto- ritatem, industria summa adolescentum, et paterna caritas accederet? Quid egerint praeterea, quando ad augendam linguarum, Historiarum, librorumque notitiam alios doctores in academia illa laudatissimos, nunc audiebant legentes, nunc adibant interrogatum, nunc inter se ipsi quoque honestissima aemulatione certabant, identidem ambo Fratres, quum aliis modis, tum publice disputantibus opponendo, vt mos est in academiis, arma, minor natu etiam defendendo publicam Patris de Baptismo disputationem, vnicuius intelligenti satis prodiderunt.

Sed

(\*) Narrationem de vita eius continet Syntagma, quod industria v. CL. IOH. CHRISTIANI KOPPE, Rostoch. et Lipsiae prodire coepit 1783. 8. hac inscriptione: *Ierztlebendes gelehrtes Mecklenburg* Parte III. 1784. 8. p. 3. sqq. Cuius ipsius etiam filo duce, inter caetera mecum communicata, nunc vtor.

(\*\*) Videatur exempli causa Memoria eius litteris con- signata a IOH. HENR. A SEELEN, Lubecae 1759. fol. monumentumque positum eidem ibidem et eodem anno ea-

demque plagulae formula, sed lingua conditum germanica et ita inscriptum: *Leben, Verdienste und Schriften* etc. a BAL- THASARE MÜNTERO A. M. nunc Theol. D. Addantur quoque *Nachrichten von berühmten Niedersächsischen Leuten und Familien* Vol. II. Hamb. 1769. 8. p. 317. sqq. et quae similia ibidem p. 339. et eiusdem argumenti documenta indicantur.

(\*\*\*) Agit de hoc etiam viro *Ierztlebendes gelehrtes Meck- lenburg* Parte II. p. 14 — 22.

Postea, quum iam vocatus Lubecae Pater a. LI., ad nouum hic loci munus ingrediendum, esset profectus, in mensum vsque nonum non in domo magis habitauerunt LASIANA, longe sibi ob iucunditatem vtilitatemque suauissima, quam habitare perreuerunt, vt ita loquar, in omnibus, quibus antea dederant operam, disciplinis, donec anno altero, LII. nempe, Patrem in hanc urbem, salutatis in itinere cognatis, amicisque, quum Sundiae degentibus, tum Rostochii Wismariaeque, frequenter. Hic vero solebant iam illo tempore nemini non sese probare, placere, cari esse, prae caeteris etiam CARPZOVIO magno, a quo iudicati quum essent, virtute pariter et eruditione praestare, inter caetera praecipui fauoris documenta facultatem quoque adepti sunt publice concionandi. Idque ipsum facere omnium erat, qui modo audiebant, sibi animos obstringere.

Sed Patris ex voluntate, quia Ienensem petitori erant academiam, vere nouo eiusdem LII. anni sunt iter ingressi, vere litterarium, si quidem in via iam viros adierunt eruditos, iam res alias erudito spectatore dignas, vt Luneburgi primum atque Cellis, deinde Brunsvici, vbi plurimam in primis, nec sine vtilitatis fructu, ceperunt voluptatem quum ex IERUSALEMII HARENBERGIIQUE sermonibus aliorumque virorum doctorum, tum ex inspectione locupletissimi Sacrorum Bibliorum apparatus, quem initio instruxerat in palatio suo, cui vetustum nomen *canentis aulae* est, Serenissima AVGVSTI GVILIELMI Ducis Vidua, ELISABETA SOPHIA MARIA, deinde Guelpherbyti, vbi Bibliothecam lustrarunt toto aevo celebrabilem Ducalem, deinde Salzdali, vbi vix oculos et animum, intuendo Gazophylacium Ducum longe instructissimum, satiari potuerunt, denique, quo tetenderant, Ienae, studuerunt operae omni, quae litteris a diicentibus in academia impenditur, Colophonem imponere.

Cui rei WALCHIORVM, KOECHERORVM, REVSCHIORVM, HAMBERGERORVM, SVCCOVIORVM, DARIESIORVM, KALTSCHMIDIORVM, GVNNERORVM, caeterorum, quae nomina, quae fama, quae laudes! vel in primis respondere videbantur. Ergo Philosophiam omnem iusque naturae tractarunt denuo ducibus DARIESIO atque GVNNERO, Mathematicam Physicamque doctrinam HAMBERGERO SVCCOVIQUE, Hebraicam litteraturam HIRTIO, Christianam vt Theologiam WALCHIO, KOECHERO, REVSCHIO, sic Historiam eodem WALCHIO et FABRICIO, minime neglectis interea doctorum praelectionibus aliorum, vt KALTSCHMIDII Anatomicis, caeterorum caeteris. E contrario spreuerant semper ignobilia quaedam et grata modo ignavis genera delectationum, vix adire soliti notabiliorum in vicinia urbem aliquam aut arcem, vt Vinariam, vt eam sedem Ducum Vinariensium, quae nomen a prospectus habet pulchritudine et amoenitate, vt item Erfurtum atque Gotham.

Tacite annis ita duobus cum tertio fere dimidio elapsis acerbissimum ambobus Fratribus tempus appropinquabat, quo alter ab altero, quasi alter idem, diuellendus esset, propterea, quod et erat futurum, vt minor aliorum vocaretur, et maior Hic, de quo scribimus ista maxime, se tum applicare velle videbatur Ienae ad vitam academicam. Cui rei quum a. LII. disputatione *de peccato originali* solide doctaque conscripta, iamque defendenda Praefide KOECHERO, quasi praeluderet, accidit, vt Frater ante abitum, quod amica illa in academiis dimicatio non dissoluit amorem, sed arctius necit, arma contra moueret, ac tum demum itineri se committeret. Solus autem inde Hic, qui remanserat, iterum, nec diu post anno scilicet LV. ineunte, publice disputauit de re ad ius naturae pertinente, quam philosophiae partem praecipue amabat, *de iuramento videlicet metu expresso*. Quo Praefes in conflictu venerabilem hodie virum propugnatorem habebat, Theologum nempe Hafniensem Pastoremque MVNTERVM, ipse vero adeo steterat pulchre, vt in Ordine philosophorum locum, quem ambierat, Adiuncti Decanus tunc temporis, HAMBERGERVS, tanto minus Ei aperire dubitaret, et posset hinc lectiones academicas tanto ipse liberius aperire. Quas quidem, pertinentes in primis ad Logicam atque Mathematicam aliasque doctrinas iusque naturae, tam diligenter habuit atque dextre, vt permulti ab eo perque libenter discerent. Alios elementis linguae Hebraicae imbuere et exercuit, alios Theologicas, quas alibi audierant, cum ipsis repetendo, quia rogatus erat, lectiones, alios ad disputandum inter se de variis rebus propositis prouocando. Quid quod etiam, quum Hafniam GVNNERVS eodem a. LV. abiisset, quas omiserat ille vir operas et abruperat, felicissime continuare visus est. Taceo de amoris ac beneuolentiae signis, quibus quum ab aliis, tum a Theologico praefertim Ordine excipiebatur, a quo et enixe rogatus aliquando, doctum quendam hominem a superstitiosa IESV societate ad veram transire cupientem, erudiuit. Quid multa? Doctor academicus videbatur sibi, nec fortasse longo post tempore, futurus.

Alia autem omnia nobisque, a quibus Lubecae fuit auditus, vtiliora laetioraque, destinauerat DEVS, cuius vox, vt ita loquar, Parentis vox erat, illum domum, LVI. anno ineunte, reuocantis. Vidimus certe his in rebus adoranda multa consiliorum summi Numinis vestigia. Nam statim et illa spes, ob quam reductus a Patre iudicabatur, et plurimorum simul votorum summa, fuit impleta, quod eodem anno ante diem xx. Maii Symmyta Petrinus eligebatur. Deinde profuit ab illo tempore magis indies magisque cunctis, et placuit, et carus fuit, denique ad quaeuis et amoris officia commendatus et honoris. Poteratne fieri, vt illa non euenirent in viro tali, tamque laudabili, tam erudito, tam fideli, tam industrio, tam simplici quadam eloquentia paeneque inimitabili perspicuitate dicendi, puriter atque sincere libereque dogmata tradente diuina, et fere semper eos, qui audiebant, perducere, quo vellet, volebat autem perducere non nisi ad recte atque pie sentiendum et ad bene beateque viuendum, id est, accommodate ad aeternam salutem. A quibus rebus tam sollerter atque fortiter agendis tamque constanter, quum desisteret nunquam, nisi aut a valetudine, aut alia fontica causa coactus, minus mirum illud innumeris accidebat, quod breui post desideratissimi RICHERZII excessum, Pastoris Iacobaei longe meritissimi et omnibus carissimi, successor viri tanti a. LXVII. a. d. XXI. Maii constitueretur, immo Senior quoque sacri Ordinis anno superiore a. d. XIII. Nouembris, posteaquam honore sese illo annis grauissimus multis meritisque BURGHARDI beata morte abdicauerat.

Sed eheu! nimis breui tempore, vt Ipse Patre anno saeculi LIX. erat orbatus, quum anno antea vix tertio primum suum apud nos munus acceperat, ita nos Illo iam Seniore, post spatium quinquemestrem viuimus orbi et luctum inter et acerbissimas querelas relictis. Quam rem quemadmodum narrare animus horret, ita se rescit ex parte, quod paullo post poterit illa Medici ordinarii verbis referri, vbi antea de coniugio viri et editis publice ab ipso speciminibus eruditionis omnisque dexteritatis, pauca, quae maxime necessaria videbuntur, dixero.

Matrimonium iniiit a. LIX. a. d. XVII. Martii cum Virgine Nobilissima et qualibet sui sexus virtute ac laude decoratissima ELSABE CATHARINA SCHMIDTIA Spectatissimi olim apud nos Ciuis atque Mercatoris, FRANCISCI DITERICI SCHMIDTII Filia, tum annorum fere viginti, nata scilicet a. XXXIX. a. d. I. Nouembris. Quam sicut sui amantissimam seseque ob eximias dotes, quae merebantur omnium applausum, dignissimam tenerrime ex ima mente dilexit, ita eheu tanto magis, post maritalem nondum viginti vnus annorum societatem, anno saeculi LXXIX. a. d. XXVI. Maii dolenter amisit.

Octo vero Liberorum, quos ex Illa susceperat, quinque tantum Eidem superstitibus vidit, et horum vnum post Eius obitum sibi ante menses hosce sedecim ereptum, omnium nempe primum, IOHANNEM HERMANNVM, editum illum in lucem a. LX. a. d. XXVI. Dec. postque litterarum studia biennio, vt Kilonii, sic etiam Ienae, laudabiliter adsoluta, Lubecae mortuum a. LXXXVI. a. d. VIII. Decembris.

Alter FRANCISCVS HENRICVS, natus a. LXII. a. d. VIII. Octobris, vt mercatui strenue dedit operam ante tempus aliquod Hamburgi, sic porro, et propediem initio faciendo, daturus est peregre, faxit DEVS feliciter!

Filiorum hinc tertius, GOTTLIEB ARNOLDVS, hanc vitam inchoauit a. LXIV. a. d. I. Aug. Litteris vero diligenter admodum in schola multaque cum laude cultis Theologica Ienae studia per quadriennium et illo adiunxit modo, vt, quoniam redux anno superiore factus et in numerum receptus est reu. ministerii Candidatorum exindeque iterum atque iterum concionatus, auctor etiam factus exarati pererudite libelli, iubeat vnumquemuis ominari, Patris eum felicem aemulum semper omniumque maiorum futurum.

Quarta proles Filia successit IOHANNA ELISABETA progenita illa saeculi a. LXVII. a. d. XXV. Ianuarii, ex cuius indole faustissima ad omne decus omnemque virtutem et sapientiam, quae sexum femineum decet, Pater gaudii fructum cepit illum, qui, vt felicitatis post se trahat omne genus in posterum, candide mecum sine dubio boni omnes precantur.

Quinta proles, Filiarum secunda, nomine ANNA DOROTHEA, quam vitam acceperat a. LXIX. a. d. XX. Ian. quarto post anno, Saeculi nempe LXXIII. a. d. VII. Iulii amisit.

Filiorum

Filiorum quartus, at sextus idem Liberorum, IOHANNES FRIDERICVS, natus a. LXXI. a. d. XIII. Febr. nuper, vt rei se daret agrariae, Satouiam prope Rostochium se contulit, vbi tantum prosperitatis vt inueniat, precor, quantum obitus Parentis luctuosissimus ipsi tristitiae afferet atque moeroris.

Septima proles Filiola CHRISTINA DOROTHEA eodem anno LXXIII. et nata fuit a. d. v. Aug, et altero mense a. d. VI. Septembris mortua.

Proles vltima Filiolus a. LXXIII. a. d. VIII. Aug. vitam accepit aegre, nomen iustrale nullum, at tanto maturius aeternitatem. His igitur fatis Maritus et Pater vsus est.

Eruditionis ab illo et ingenii monumenta et Theologicae dexteritatis relicta sunt ista:

- 1) Differtatio Theologica de peccati originalis existentia. Praefide S. V. KOECHERO. Ienae 1754. 4.
- 2) Differtatio iuris naturalis de iuramento metu expresso. Resp. BALTH. MYNTERO. Ienae 1755. 4.
3. 4) Nachrichten von den merkwürdigsten theologischen Schriften unserer Zeit. Harum Relationum, quarum partis alicuius ipse auctor fuit, edidit duo Volumina: I. Lubec. 1765. II. ibid. 1766. 8. Tertium volumen, ab alio editum, non nisi aliorum labores continet.
- 5) Das Bild eines rechtschaffnen Predigers, Lub. 1765. fol. Vita est b. FR. IOACH. SCHNOBEL. Pastoris Mar.
- 6) Leben, Verdienste und Schriften des sel. Hrn. Superint. D. CARPZOV. Lub. 1767. fol.
- 7) Zwey Predigten bey Veränderung seines Amts. Lub. 1767. 8.
- 8) Beylage zu NOELTINGS zwoten Vertheidigung des Pasts. SCHLOSSER. Lub. 1767. 8.
- 9) Die schädliche Verwechslung natürl. Empfindungen mit den Empfind. der Religion, eine Predigt. Lub. 1771. 8.
- 10) Einfegnungsrede bey der ehelichen Verbindung seiner Schwester mit Hrn. Prof. FRORIEP zu Erfurt. Lub. 1771. 8. Sororis, vt scimus, beata morte functae Viduus hodie dignitate et meritis floret Bückeburgi.
- 11) Sammlung einiger Predigten. Lub. 1775. 8.
- 12) Meditationes de veste nuptiali ad Matth. XXII. 1—14. Rostoch. 1775. 4. Programma Rostochiense, quo tempore in illa academia frater aegrotabat, eius nomine conscriptum.
- 13) Der Werth eines gefühlvollen und die Unseligkeit eines harten Herzens, zwo Predigten. Lub. 1777. 8.
- 14—23) Entwürfe seiner Predigten. Zehn Jahrgänge. Lub. 1769—78. 8.
- 24—32) Grundrisse seiner Predigten. Acht ganze Jahrgänge und ein Theil des neunten. Lub. 1779—1788. 8. Hanc quoque Decadem completurus erat, quum a medio curriculo annuo nono ad vitae metam properearet vltimam Praeterea singulae quaedam conciones leguntur in b. STURMII *Predigten über die Werke Gottes in der Natur*, item in Ven. HEVSINGERI *Casualreden*. Breuiculas aliquot ab ipso profectas, ab aliis vero editas, vel recensiones, vel obseruationes, omitimus.

In his igitur atque talibus vel actis laboribus, vel agendis, occupatus tandem ab extremo letalique morbo fuit. Cui mederi quum summo studio et omni arte, labore, fide, industria conatus esset, non potuit, prohdolor, quantumuis propere accitus, resistere vir nobiliss. et experientiss. HANS BERNHARDVS LVDOVIC. LEMBKE, salutaris artis Doctor et Effector felicissimus, Archiater Lubecensium celeberrimus, qui malorum omnium et euentus tristissimi notitiam dat his verbis, quae ex Eius Ipsius voluntate infero: „Maxime commotus animo cogor haec, quae ad morbi historiam, hanc ipsamque pertinent mortem, non Iacobaeo tantum coctui, et afflictiae destitutaeque Domui, sed fere toti Ciuitati luctuosam, literis consignare. VIR ADM. REVERENDVS, merittissimus ille in sua SENIORIS atque PASTORIS dignitate BECKERVS, incidebat initio hebdomadis, quae antecedebat Paschale Sacrum, in eiusmodi quandam, quae leuioris indicii videbatur, sed catarrhalem tamen et asthmaticam, febrim. Quem quoniam putabat morbum esse minime grauem, quoniamque corpore satis firmo vti videbatur, cuius beneficio a se vel maiora posse perferri, sibi promitteret, obiit quasque sui muneris functiones, qua semper solebat, industria, neque concessit suorum precibus, vt parceret valetudini, vltum locum, sed concionatus est eodem, quo semper, applausu, non modo Parasceues die, sed primo etiam Paschali. Ob hos igitur nimios labores, in aegro praesertim corpore, degenerabat ille morbus in febrim asthmaticam putridam, cui tamen per clementiam DEI, quod adhibita erant praesentissimorum genera medicamentorum, illa medela fuit allata, vt VIR PRAECLARISSIMVS non solum a. d. XII. Aprilis domum suam confessuros admitteret, sed postridie quoque modica gestatione per urbicum vallum, qua se reficeret, vteretur. Sed quaedam, ob vehementiam ardoris, qui erat in VIRO ADMODVM REVERENDO, negotia denuo assumpta debilitauerunt PRAECLARISSIMVM huncce SENIOREM cum in modum, vt febris asthmatica, quae fuerat ante, nunc etiam nervosa simul fieret conuulsuaque, maiorique, quam antea, vi reuerteretur essetque, debilitato antea corpore, nunc vero prorfus exhausto, spem inter metumque vacillandum. At enim posteaquam febrim illi nervosae leue quoddam delirium sese adiunxerat, simul asthma coepit incrementum, vires autem decreverunt in tantum, vt VIR ADMODVM REVERENDVS a. d. XXIV. Aprilis ad altiora fastigia eius, quam ipse frequenter omniumque cum applausu docuerat, aeternitatis beatissimae extolleretur. Tam religiosa vero, quam vidimus, et tam indefessa cum industria coniuncta muneris administratio certissimo nobis pignori est, fore, vt pie defuncti beatique PASTORIS omnium concelebratione digna memoria inter Lubecenses nunquam deleatur. „

Ad hanc addere morbi historiam nihil nobis conceditur, nisi quis forte annotandum illud existimet, ipsius obitus horam vespertinam fere quintam fuisse. Nil etiam ad consolandum proferri posse arbitramur efficacius, quam, quod illic de beata monitum fuit aeternitate ac de nunquam intermorrura memoria EIVS, qui quo desiderio dignus, quo sit affectu prosequendus, non tantum ii sciunt, qui suo singultu, gemitu, fletu publice, quid perferent, indicauerunt, sed et agnoscit vniuersa Ciuitas.


Quem quidem qui maxime lugent atque lugendi omnium granissimas habent causas, LIBERI superstites, FRATRES, AFFINES, Agnati, Cognati, Familiares, modo solatia velint animis accipere illa, de quibus dictum est, haud parum se sentient erigi in summa afflictione, poteruntque, quod vt velint, rogo, sibi persuadere, nos ita damnari magna nostrorum parte votorum, quorum illa summa est, vt a LVGENTIBVS in vniuersum omnibus, in his a BECKERIANA DOMO, diuina beneficentia nunquam recedat.

Iam vero quum humanda hodie Viri Desideratissimi ossa sint, MAGNIFICOS ET ILLVSTRES REIPUBLICAE CONSVLES, Summe Venerab. et Illustr. reu. Canonicorum Ordini PRAEPOSITVM, generosiss. Eorundem DECANVM, summe reuer. et excellentiss. Sacrorum PRAESVLEM, nobiliss. consultiss. et excellentiss. Reipubl. SYNDICOS et iurium scientiae medicaeque DOCTORES, adm. reuerendos et praeclariss., qui suo sunt denuo, prohdolor, orbatu SENIORE, PASTORES atque SYMMYSTAS, nobiliss. generos. prudentiss. et ampliss. Reip. SENATORES, PROTONOTARIVM ET SECRETARIOS omnesque, quotquot a me videntur expectare, vt rogentur, enixe cupio debita reuerentia humanitateque rogatos, vt in comitando funere, quantum apud se valeant religio, doctrina, merita, virtutes, velint ostendere.

P. P. Ipso exsequiarum die II. Maii A. MDCCCLXXXVIII.

Mkl - Bestand

33  
LBMV Schwerin  
000 648 175





stea, quum iam vocatus Lubecam Pater a. LI., ad nouum hic loci munus ingrediendum, esset profectus, in  
sque nonum non in domo magis habitauerunt LASTIANA, longe sibi ob iucunditatem vtilitatemque suauissima,  
itare perrexerunt, vt ita loquar, in omnibus, quibus antea dederant operam, disciplinis, donec anno altero,  
pe, Patrem in hanc urbem, salutatis in itinere cognatis, amicisque, quum Sundiae degentibus, tum Rostfo-  
ariaeque, sequebantur. Hic vero solebant iam illo tempore nemini non sese probare, placere, cari esse, prae-  
tiam CARPZOVIO magno, a quo iudicati quum essent, virtute pariter et eruditione praestare, inter cae-  
cipui fauoris documenta facultatem quoque adepti sunt publice concionandi. Idque ipsum facere omnium  
modo audiebant, sibi animos obstringere.

d Patris ex voluntate, quia Ienensem petitiuri erant academiam, vere nouo eiusdem LII. anni sunt iter ingressi,  
rarium, si quidem in via iam viros adierunt eruditos, iam res alias erudito spectatore dignas, vt Luneburgi  
tque Cellis, deinde Brunsvici, vbi plurimam in primis, nec sine vtilitatis fructu, ceperunt voluptatem quum  
SALEMI HARENBERGIQUE sermonibus aliorumque virorum doctorum, tum ex inspectione locupletissimi  
Bibliorum apparatus, quem initio instruxerat in palatio suo, cui vetustum nomen *canentis aulae* est, Serenissi-  
VSTI GVILIELMI Ducis Vidua, ELISABETA SOPHIA MARIA, deinde Guelpherbyti, vbi Bibliothecam  
toto aeuo celebrabilem Ducalem, deinde Salzdali, vbi vix oculos et animum, intuenso Gazophylacium Ducum  
ructillimum, fatiare potuerunt, denique, quo tetenderant, Ienae, studuerunt operae omni, quae litteris a  
in academia impenditur, Colophonem imponere.

i rei WALCHIORVM, KOECHERORVM, REVSCHIORVM, HAMBERGERORVM, SVCCOVIORVM,  
IORVM, KALTSCHMIDIORVM, GVNNERORVM, caeterorum, quae nomina, quae fama, quae laudes!  
mis respondere videbantur. Ergo Philofophiam omnem iusque naturae tractarunt denuo ducibus DARIESIO  
NNERO, Mathematicam Physicamque doctrinam HAMBERGERO SVCCOVIQUE, Hebraicam litteraturam  
Christianam vt Theologiam WALCHIO, KOECHERO, REVSCHIO, sic Historiam eodem WALCHIO et  
IO, minime neglectis interea doctorum praelectionibus aliorum, vt KALTSCHMIDII Anatomicis, caete-  
eteris. E contrario spreuerant semper ignobilia quaedam et grata modo ignavis genera delectationum, vix  
ti notabiliorem in vicinia urbem aliquam aut arcem, vt Vinariam, vt eam sedem Ducum Vinariensium, quae  
prospectus habet pulchritudine et amoenitate, vt item Erfurtum atque Gotham.

icite annis ita duobus cum tertio fere dimidio elapsis acerbissimum ambobus Fratribus tempus appropinquabat,  
ab altero, quasi alter idem, diuellendus esset, propterea, quod et erat futurum, vt minor aliorum voca-  
maior Hic, de quo scribimus ista maxime, se tum applicare velle videbatur Ienae ad vitam academicam.  
uum a. LI. disputatione *de peccato originali* solide docteqe conscripta, iamque defendenda Praefide КОЕЧЕ-  
li praeluderet, accidit, vt Frater ante abitum, quod amica illa in academiis dimicatio non dissoluit amorem,  
is nequit, arma contra moueret, ac tum demum itineri se committeret. Solus autem inde Hic, qui reman-  
erum, nec diu post anno scilicet LV. ineunte, publice disputauit de re ad ius naturae pertinente, quam philo-  
partem praecipue amabat, *de iuramento videlicet metu expresso*. Quo Praefes in conflictu venerabilem hodie  
opugnatores habebat, Theologum nempe Hafniensium Pastoremque MVNTERVM, ipse vero adeo steterat  
vt in Ordine philosophorum locum, quem ambierat, Adiuncti Decanus tunc temporis, HAMBERGERVS,  
nus Ei aperire dubitaret, et posset hinc lectiones academicas tanto ipse liberius aperire. Quas quidem,  
es in primis ad Logicam atque Mathematicam aliasque doctrinas iusque naturae, tam diligenter habuit atque  
t permulti ab eo perque libenter discerent. Alios elementis linguae Hebraicae imbuit et exercuit, alios Theo-  
uerant, cum ipsis repetendo, quia rogatus erat, lectiones, alios ad disputandum inter se de  
rouocando. Quid quod etiam, quum Hafniam GVNNERVS eodem a. LV. abiisset, quas omi-  
ruperat, felicissime continuare visus est. Taceo de amoris ac beneuolentiae signis, quibus quum  
ico praefertim Ordine excipiebatur, a quo et enixe rogatus aliquando, doctum quendam homi-  
SV locietate ad veram transire cupientem, erudiuit. Quid multa? Doctor academicus videbatur  
post tempore, futurus.

ia nobisque, a quibus Lubecae fuit auditus, vtiliora laetioraque, destinauerat DEVS, cuius  
rentis vox erat, illum domum, LVI. anno ineunte, reuocantis. Vidimus certe his in rebus  
rum summi Numinis vestigia. Nam statim et illa spes, ob quam reductus a Patre iudicabatur,  
ptorum summa, fuit impleta, quod eodem anno ante diem xx. Maii Symmyta Pefrinus elige-  
ab illo tempore magis indies magisque cunctis, et placuit, et carus fuit, denique ad quaeuis  
endatus et honoris. Poteratne fieri, vt illa non euenirent in viro tali, tamque laudabili, tam  
n industrio, tam simplici quadam eloquentia paeneque inimitabili perspicuitate dicendi, puriter  
dogmata tradente diuina, et fere semper eos, qui audiebant, perducente, quo vellet, volebat  
isi ad recte atque pie sentiendum et ad bene beateque viuendum, id est, accommodate ad aeter-  
s rebus tam sollerter atque fortiter agendis tamque constanter, quum desisteret nunquam, nisi  
alia fontica causa coactus, minus mirum illud innumeris accidebat, quod breui post desiderae-  
cessum, Pastoris Iacobaei longe meritissimi et omnibus carissimi, successor viri tanti a. LXVII.  
eretur, immo Senior quoque sacri Ordinis anno superiore a. d. XIII. Nouembris, posteaquam  
trauissimus multis meritisque BURGHARDI beata morte abdicauerat.

breui tempore, vt Ipse Patre anno saeculi LIX. erat orbatus, quum anno antea vix tertio pri-  
unus acceperat, ita nos illo iam Seniore, post spatium quinquemestre viuimus orbatu et luctum  
erelas relictu. Quam rem quemadmodum narrare animus horret, ita se reficit ex parte, quod  
Medici ordinarij verbis referri, vbi antea de coniugio viri et editis publice ab ipso speciminibus  
exeritatis, pauca, quae maxime necessaria videbuntur, dixerim.

it a. LIX. a. d. XVII. Martij cum Virgine Nobilissima et qualibet sui sexus virtute ac laude de-  
ATHARINA SCHMIDTIA Spectatissimi olim apud nos Ciuis atque Mercatoris, FRANCISCI  
II Filia, tum annorum fere viginti, nata scilicet a. XXXIX. a. d. I. Nouembris. Quam sicut sui  
b eximias dotes, quae merebantur omnium applausum, dignissimam tenerrime ex ima mente  
magis, post maritalem nondum viginti vnus annorum societatem, anno saeculi LXXIX. a. d.  
iisit.

orum, quos ex Illa susceperat, quinque tantum Eidem superstites vidit, et horum vnum post Eius  
hosce sedecim ereptum, omnium nempe primum, IOHANNEM HERMANNVM, editum illum  
XXVI. Dec. postque litterarum studia biennio, vt Kilonij, sic etiam Ienae, laudabiliter adsolata,  
XXXVI. a. d. VIII. Decembris.

SCVS HENRICVS, natus a. LXII. a. d. VIII. Octobris, vti mercatui strenue dedit operam ante  
rgi, sic porro, et propediem initio faciendo, daturus est peregre, faxit DEVS feliciter!

ertius, GOTTLIEB ARNOLDVS, hanc vitam inchoauit a. LXIV. a. d. I. Aug. Litteris vero  
schola multaque cum laude cultis Theologica Ienae studia per quadriennium et illo adiunxit  
dux anno superiore factus et in numerum receptus est reu. ministerij Candidatorum exindeque  
ncionatus, auctor etiam factus exarati pererudite libelli, iubeat vnumquemuis ominari, Patris  
semper omniumque maiorum futurum.

ilia successit IOHANNA ELISABETA progenita illa saeculi a. LXVII. a. d. XXV. Ianuarij, ex  
ad omne decus omnemque virtutem et sapientiam, quae sexum femineum decet, Pater gau-  
i, qui, vt felicitatis post se trahat omne genus in posterum, candide mecum sine dubio boni

Filiarum secunda, nomine ANNA DOROTHEA, quam vitam acceperat a. LXIX. a. d. XX.  
Saeculi nempe LXXIII., a. d. VII. Iulij amittit.

Filiorum

